



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Apostolorum epistolis. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII HISTORIAE

vixerunt verbum Dei prædicavit. Qui ad extremum cum Romæ versaretur, capite deorsum statuto (Sic enim perpeti cupiebat) cruci suffixus est. Quid attinet de Paulo dicere, qui simul ac ab Hierusalem ad Illyricum vsque, fuerat euangelii Christi prædicandi munus plenè executus, post Romæ, Nerone summam rerum administrante, martyrio occubuit. Ista ab Origine ad verbum, Tertio tomo Commentariorum, quos scripsit in Genesin, reuera commemorata sunt.

*Quis primus Romanæ ecclesiæ præfuit.*

CAP. II.

**P**ost Pauli & Petri martyrium, primus Romanæ Ecclesiæ episcopatum Linus sortitò capit. Huius meminuit Paulus è Roma ad Timotheum scribens, in ea 2. Tim. 4 salutatione, quam ad extremam epistolæ partem adnectit. Salutât te, inquit, Eubulus, Pudens, Linus, & Claudia.

*De Apostolorum epistolis.*

CAP. III.

**V**Na verò Petri epistola, quæ prior illius esse dicitur, omnium consensu est approbata. Hanc quasi extra omnem controuersiam positam veteres presbyteri in suis ipsorum scriptis citarunt. Eam autem, quæ illius secunda fertur esse epistola, non ita auctoritate & testimonio veterum confirmatam accepimus. Verùm cū plerisq; perquam utilis illa quidem videretur, vnà cum aliis scripturis studiosè perlegi, petdiscique solita est. Quæ autem acta illius inscribuntur, atque euangelium, quod secundum Petrū appellatur, libellū præterea de eius prædicatione, opusq; illius, quod Apocalypsis vocatur, non omnino in scripturis catholicis numerata approbatave cognouimus: quandoquidè nullus scriptor ecclesiasticus vel ex veteribus, vel ex his, qui nostra memoria vigerunt, testimoniis ex illis libris depromptis aliquando vsus est. Cæterū cū iam ratione & via procedat historia, operæpretium me facturum puto, si dum apostolorū successiōnem persequor, vnà etiā cōmemorem, quænam ex scriptu-

ris,

ris, quibus contradicatur, fuerint illæ, quarum testimonia nonnulli scriptores ecclesiastici variis tēporibus in suos libros illigarunt: et quæ etiam quæ ab eisdem scriptoribus tam de illis scripturis, quarum autoritas omnium sententiis constabitur, quàm de iis, quæ non sunt eius generis, referantur. Ac de his, quæ dicuntur scripta Petri (ex quibus vnam solam epistolam germanam noui, eamque summo antiquorum presbyterorum consensu approbatam) ista sint isto tempore à nobis exposita. Pauli autem quatuordecim testatæ & notæ dicuntur epistolæ, tamen quod quidam illi epistolæ, quæ est ab eo ad Hebræos scripta, perinde ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerint, affirmauerintque eidem ab ecclesia Romana contradici, in obscuro relinquere neutiquam consentaneum existimaui. Ea igitur, quæ sunt de hac ipsa à maioribus explicata, ubi tempus dabitur oportunitum, in historia ponam. Illa quæ eius acta vocantur, in scripturarum illarum numero, de quibus nulla est omnino dubitatio, habita esse non equidem accepi. Et quoniam apostolus ipse in salutationibus, quas extremæ epistolæ ad Romanos perscriptæ attexit, inter alios, etiam Hermæ cuiusdam (cuius opus esse ferunt, qui Pastoris libellus inscribitur) mentionem facit, intelligendum est, istum tamen in quæstionem à nonnullis vocatur, ac propterea scripturis omnium assensu approbatis, nullo modo annumerandum ducitur, ab aliis tamen per necessarium, iis præsertim, qui iam primis fidei elementis imbuendi sunt, indicatum esse. Vnde hoc quidem tempore eum non modo in ecclesiis palam peruulgatum, verum etiam eius testimonia à nonnullis veterum scriptorum in suis libris citata animaduertimus. Itaque quò constaret tum quæ in sacris scripturis in nullam omnino quæstionem adductæ sint, tum quæ contra non satis ab omnibus probatæ, hæc in præsentia à nobis explicata sunt.

*De prima Apostolorum successione.*

*CAP. IIII.*

**Q**uòd verò Paulus gentibus verbum Dei prædicarit, quodque;